



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Theodori cœnobium Bambergense, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

D. Jaco-
bus Bo-
buso Or-
ganicen.

Apostro-
phe ad
Carolus
Archidu-
cem.

Epilogus
per ady-
naton.

Clarus Jacobus ingenio, quem à nomine gentis
Tota Bobusonem musica turba vocat.
Quo vix componit pia cantica promptius alter,
Sub cuius digitis barbitos apta crepat,
Barbitos ex hilarans vario modulamine & almi
Regis & astantum pectora celsa Ducum.
Quos inter medius tu, Princeps Carole, fulges,
Editiore tamen conspiciende loco:
Carole, Fernandi regis ter maxime fili,
Qui Cæsar nobis Carole sextus eris:
In quem defigunt unum sua lumina, templi
Quicunq; hæc sacrilimina sacra petunt.
In pueroq; putant se Augustum cernere quidam,
Quo terrarum orbis debeat ipse regi.
Orbis (dico) per Austriacos Dominosq; Ducesq;
Qui mundi ad fines usq; regendus erit.
Cetera totius si vellem numina templi
Dicere, deficerent tempus & hora mihi.
Non mihi si lingvæ centum & totidem ora super sint,
Cuncta au sim numeris commemorare meis.
Hæc tibi de multis vero paucissima, lector,
Sufficiant modo: quæ si, velut opto, probas,
Plurâ aliquando leges de sacro utriusq; sacello
Cæsaris & regis condita scripta. Vale.

S. Ursule
Cænob.

Est & tertium monialium, sed Franciscani saltem instituti
pauperularum, aut certe non tam (ut sunt aliæ) opulentarum
fororum elegans cœnobiolum in urbe Augustana ad Lycum
amnem situm, ac S. Ursulæ dicatum. Id ex mendicitate emerfit, &
nuper adeo ab Episcopo Augustanæ ecclesiæ laudatissimo ac
optimo, Domino Christophoro à Stadion, auctum ac liberaliter
est donatum: quem solum ejus loci forores pro fundatore ac præ-
cipuo benefactore suo jactare solent.

THEODORI cœnobiolum Bambergense, quod incolæ ur-
bis corrupta & abbreviata voce Sandt Oders vocant, No-
bilium

bilitum puellarum perpetuæ virginitatis voto astrictarum magnificum ac præpotens monasterium, inchoatum est primum Michelsfeldi in S. Nicolai colle, ubi hodie adhuc primarum monachialium templum & locus visitur, annum Christi circiter 1135. postea vero Bambergam in locum, quo hodie adhuc extat, translatum anno Domini 1150. ibiq; in honore S. Theodori Martyris quasi de novo fundatum est à Gertrude, Palatinissa quadam, Conradi Marchionis Misnensis filia, quæ defuncto marito hoc ipsum cœnobium ingressa per annos aliquot sancte illic vixisse & præfuisse cæteris virginibus legitur. Sepultus est in eo Hermannus secundus, Bambergensis Episcopus, qui obiit anno 1177. & creditur fuisse Marchio Misnensis & hujus fundatricis germanus frater. *Abbatissarum hujus loci Benedictini talis extat catalogus.*

Abbatissarum descriptio.

1. *D. Gertrudis*, Palatinissa, prima ejus loci fundatrix, obiit anno 1191. fidelis ancilla Christi, cui datum est hospitale vicinum ab Hermanno Episcopo, quod ab Eberhardo Episcopo primo pro peregrinis & orphanis constructum erat.
2. *Bertha.*
3. *Mechtildis.*
4. *Clara Lisbergerina.*
5. *Elisabeta à Zugenreuth.*
6. *Margareta Grossina à Drogkau.*
7. *Elisabeta à Braunwart*, utilissima gubernatrix & secunda monasterii fundatrix, præfuit circa annum Christi 1390.
8. *Christina à Rabenstein.*
9. *Catharina Stibarina* obiit anno 1436.
10. *Gertrudis* ab Auffess præfuit annis 23. Obiit anno 1459. germana soror *D. Friderici*, Episcopi Bambergensis.
11. *Kbunigundis*, Dapifera à Wetzhausen, quæ laudabiliter præfuit annis pene 40. Decessit ex hac vita anno 1498.
12. *Catharina Schoffstalerin* præfuit 22. annis. Obiit anno Domini 1520.
13. *Magdalena à Liechtenstein* præfuit tempore seditionis rusticæ. Obiit anno 1528.

Qqq 2

14. Do-

uti
um
um
, &
o ac
iter
ræ-
ur-
No-
um

14. *Dorothea à Mistelwegk* obiit anno gratiæ 1540. cum præfuiſſet annis 12.

15. *Urfula à Roſenau* eligitur anno Chriſti 1540. Præeſt adhuc currente hoc Jubileo.

*S. Clara
Cœnobi-
um Bam-
bergenſe.*

*Sum
Brandt.*

Est in eadem amœniſſima civitate Episcopali S. Claræ etiam præclarum virginum Deo dicatarum cœnobium, fundatum anno Chriſti 1341. ſub Leopoldo, Bambergenſi Episcopo, à Domina Catharina, honeſtiſſima quadam puella Babenbergenſi, ejus gentis ac familiæ civium, quos Zollereros ad Titionem, vulgo *die Zoller am Brandt*/ ad differentiam alterius familiæ Zollerorum, & à domo præclara Titione ſignata, & à Carolo IV. ſacra- tiſſimo Imperatore, in gratiam Henrici Zolleri (cujus gener Guntherus Doglerus, Imperatorius erat ſecretarius) anno Chriſti 1357. maximis immunitatibus donata, & ab omnibus exactio- nibus ac oneribus civilibus ſingulariter exempta, omnes civitatis incolæ vocant. Prima hujus cœnobii Abbatiffa legitur fuiſſe illa ipſa Domina, fundatrix Catharina, quæ Divarum numero in- ſcripta, honorifico & de terra in altum educito Mauſoleo condita eſt in ipſo ambitu ſacello. In hoc ipſo cœnobio monaſticen & perpetuam virginitatem profeſſa eſt, tandemque Abbatiffa deſi- gnata legitur illuſtriſſima Domina Dorothea, Alberti Marchio- nis Brandenburgeniſis filia, quæ obiit anno Chriſti 1529.

*S. Domi-
nici ſepul-
chri Cœ-
nobi-
um Bam-
bergenſe.*

Est vero & tertium monialium cœnobium Bambergæ ordi- nis Prædicatorii, ad S. Dominicum ſepulchrum dictum. Id anno Domini 1314. Wulfingi Babenbergenſis Episcopi tempo- ribus conſtructum ac fundatum eſt ab honeſto Bambergenſis urbis cive, Franciſco Monetario, qui cum egregie id perfeciſſet, obiit tandem anno Domini 1355. ipſo die S. Luciæ, in media iſta ſua Eccleſia honorifice depositus ac ſepultus. Condidit vero in ho- norem corporis Dominici, cujus particula argenteo vaſi incluſa ab improbo quodam ſcholatiſtico, Simone, omnium paternæ do- mus bonorum abliguritore, è templo S. Martini furtim ſubtra- cta, & vendito dilapidatoque argento, in agrum projecta erat: ad quam cum veniſſet cuſtodis templorum ſerva, excæcata (ut fer- tur) ejus claritate, in urbem rediit, ac ſuum luſtum, & quod vi- diſſet,

diffet, Episcopo narrat. Episcopus vir religiosus prodit cum sacerdotum & monachorum cœtu, agnoscit particulam furto alienatam, quam mox cum reverentia sublevat & sacellum illic construere incipit. Id statim ab Henrico quodam, alio cive, & ejus uxore Guta, postea vero aliorum piorum hominum elemosynis cumulatim accedentibus præclare ditatum, & à Francisco, cive supranominato, magis auctum & in cœnobii formam ac statum redactum, reliquiisq; S. Jodoei ornatum, pluribusq; structuris pulchre decoratum est. Primæ hujus loci moniales ex Dominarum Aurachio introductæ sunt, Elisa Frowiniana, Elisa Holdschuherina, patre Patricio viro apud Noricos nata, Catharina Cameraria Bambergensis, cum aliis 12. virginibus, quarum prima gubernatrix vel priorissa fuit Domina Khunigundis, Francisci Monetarii fundatoris conjux, quæ 19. annis laudabiliter huic societati præfuit, & anno 1375. ex hoc seculo emigravit. Reformatum est cœnobium hoc anno Domini 1457. temporibus Antonii, Episcopi Bambergensis, à pia & venerabili Domina, Dorothea Perlina, è S. Claræ Noribergensi cœnobio missa, quæ hujus loci Priorissa designata est. Præfuit autem huic ipsi monialium congregationi anno Domini 1513. insignis Domina, Domina Euphrosyne à Schaumberg, quæ octo sorores misit eodem anno in Misniam ad S. Mariæ Magdalænæ Widenfense cœnobium reformandum: cui præfecta legitur gubernatrix Domina Margareta ab Hutten, nobilis genere, sed virtute morumq; & vitæ probitate longe nobilior Domina.

*S. Maria
Magda-
lenæ Wi-
dense Cœ-
nobium.*

SUDALRICI magnificentissimum Benedictinæ professionis monachorum cœnobium, intra Augustanæ urbis mœnia versus meridiem sublimi & augusto loco situm, ex Divæ Afræ vetustissimo templo in monasterium conversum est ab ipso S. Ulrico, Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab Imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit vero S. Ulricus ibi Canonicos primum regulares. Postea vero à Brunone Episcopo, Imperatoris Henrici II. germano fratre, Abbatia Benedictinorum monachorum ejectis Canonicis facta, S. Ulrico

Qqq 3

augu-